



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

VI. Erga Christum Dom. à morte resurgentem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

*Considera VIII.* Pietatem Josephi ab Arimathæa & Nicodemi, qui impetratum à Pilato corpus JESU, & ligatum linteis cum aromatibus, mixtura myrrhæ & aloës sepelivêre in monumento novo. Gaude reptos esse aliquos de Christi sepultura sollicitos, contemptis que respectibus humanis erga eum liberales, comparatis centum libris aromatum. Gratias illis refer pro his obsequiis, eos pro hac pietate & observantia laudibus effer; & imitari propone, absq; respectibus humanis Christum tracta, ejus gloriam pro viribus, in te aliisque promove.

### PRAXIS VI.

*Devotionis & affectûs erga Christum  
Dominum resurgentem.*

**A** *Afectus I.* Adorationis. Adora Christum resuscitatum 1. In divinitate ejus, tanquam Deum & creatorem: adora ejus naturam divinam, attributa divina, æternitatem, potentiam, sapientiam &c. 2. Adora Personam Christi ut distinctam à Patre & Spiritu S. 3. Adora eandem ut hypostaticè unitam Humanitati. 4. Adora Chri-

Christum tam multa pro te aliisque passum. 5. Adora corpus ejus gloriosum, vulneribus quinque insignitum.

*Affectus II.* Gratiarum actionis. Gratiarum age 1. pro tui redemptione feliciter peracta & liberatione à servitute Diaboli, peccati, & pœnis inferni. 2. Pro liberatione tot animarum è limbo & eorum visione beatifica. 3. Pro tot apparitionibus B. V. & Discipulis, factis, ut testes essent resurrectionis, & nos quoq; in fide stabiliremur. 4. Pro doctrinis post resurrectionem, pro instructione Ecclesiæ relictis. Pro institutione sacramenti pœnitentiæ, eo tempore in tuum & aliorum bonum peracta.

*Affectus III.* Gratulationis. Gratulare Christo Regi tuo triumphanti 1. de gloria corporis & quaternis dotibus gloriosis. 2. De promeritis, obtentisque morte suâ variis prærogativis, resurrectione & gloria corporis, impassibilitate animæ, dignitate regiâ, Dominio Universi, exaltatione nominis, summo Sacerdotio, encomiis Prophetarum, Autoritate Supremi Ecclesiæ Capitis, denique potestate judiciaria. 3. Gratulare ei de multiplici fructu in Creaturas,

18 *Praxis VI. devotionis erga Christum resurg.*  
turas, mediante ejus passione & morte de-  
rivato, ut sunt liberatio à peccatis, dona  
gratiæ & gloriæ. 4. De adoratione Ange-  
lorum & animarum Sanctarum. 5. De  
honore patriæ per totum orbem exhibito,  
per sacrificia, templa, vota, preces, bona  
opera &c.

*Affectus IV. Oblationis & gratitudi-*  
nis. Offer Christo resuscitato in signum  
grati animi & amoris pro beneficio re-  
demptionis 1. Voluntatem nunquam de-  
liberatè peccandi. 2. Nunquam regulam  
transgrediendi. 3. Semper de spiritualibus  
loquendi. 4. Opera quotidiana perfectè  
obeundi. 5. Vota, proposita, cruces.

*Affectus V. Spei & orationis.* Ab hoc  
Rege liberalissimo pro te aliisq; varia pe-  
te. 1. Emendationem hujus vel illius de-  
fectûs. 2. Victoriâ tentationis. 3. Ade-  
ptionem certæ virtutis. 4. Conversionem  
certorum peccatorum aut heterodoxo-  
rum. 5. Liberationem certarum anima-  
rum è purgatorio.